



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis**

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de  
Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

**Herincx, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1675**

Quæstio I. An Contritio, seu Pœnitentia interior sit poßibilis, ac necessaria  
& quando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72963](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72963)

sum ad rectius vivendum. Quod ipsum Ethnici intellexerunt. Inter quos Ausonius Poeta Latinus in Epigrammate de occasione & poenitentia cecinit:

Sum Dea, quae peccati non factique exigo poenas:  
Nempe, ut poeniteas, sic Metanoe vocor.

Itaque hic agemus de Poenitentia interiori, quatenus sumitur pro detestatione peccati commissi, & remedio ad illius remissionem ordinato. Potissimum autem quatenus est tale remedium in Sacramento Poenitentiae, & pars eiusdem. Nonnulla tamen alia simul proponimus, quae etiam extra Sacramentum convenire possunt Poenitentiae perfectae: reliquis, quae illam eam tenus concernunt, in materiam de Justificatione rejectis.

QUAESTIO I.

An Contritio, seu Poenitentia interior sit possibilis, ac necessaria, & quando?

DICO I. Omni peccatori viatori interior Poenitentia est utilis ac salutaris; & quilibet, si rite Poenitentiam agat, potest Deo reconciliari. Est certissimum de fide. Et patet ex Scriptura, quae indifferenter omnes peccatores invitavit ad Poenitentiam, & per eam ad veniam, quam poenitentibus promittit. Narrat etiam hac de re exempla hominum antea valde impiorum. Et ad hoc in lege nova dedit Christus generalem Sacerdotibus super omnia peccata potestatem. Idem est definitum in pluribus Conciliis, & inculcatur passim à Patribus, quorum aliqui ex professo contra oppositum errorem scripserunt. Idem denique confirmatur perpetuo Ecclesiae usu, ac Fidelium sensu. Ex quibus etiam constat Poenitentiam, si rite adhibeatur, habere utilitatem certam, sive infallibiliter Deo reconciliare. Fundamentum à priori est divina misericordia. Etsi enim Deus potuisset nobis, uti angelis peccantibus, non dare locum poenitentiae; ex sua tamen benignitate dare voluit, ideoque Redemptorem ad nos misit.

Dices: Ad Hebr. 12. de Esau dicitur: Non enim invenit Poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. Et 2. Machab. 9. dicitur de Antiocho: Orabat seorsum Dominum, à quo non esset misericordiam consecutus. Et Matt. 12 ac Marci 3. dicitur, peccatum seu blasphemiam in Spiritum sanctum non remitti, neque in hoc saeculo, neque in futuro. Denique 1. Joan. 5. dicitur: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.

Resp. Esau non invenisse locum Poenitentiae paterna, ut scilicet pater ipsius benedictionem fratri datam rescinderet, ac in ipsum transferret; uti satis docet con-

Herinc Sum. Theol. Pars I.

textus: nam immediate praecesserat: Scitose enim, quoniam & postea cupiens hereditare, seu conlequi, benedictionem, reprobatus est, id est, repullam passus est à Patre nolente benedictionem ei, tamquam primogenito impertiri, sed de Jacob ad Esau dicente Gen. 27. Benedixi ei, eritque benedictus; q. d. non mutabo sententiam, quod feci, feci. Quod si ly Poenitentiae quis referret ad ipsum Esau, sensus esset, quod non invenerit locum, id est, fructum seu effectum suae poenitentiae, quam habebat de venditis primogenitis & amisâ benedictione, quamquam cum lacrymis inquisisset eam, supple, benedictionem primogeniti. Quod si lenique quis praeter scopum Scripturae contenderet, hic esse sermonem de poenitentia in ordine ad remissionem peccati, adhuc non mirum foret, quod poenitentia Esau, utpote imperfecta, & affectui fratricidii conjuncta (ut patet ex Gen. 27.) non invenerit locum, sive fructum remissionis, quamdiu talis permansit. Quamvis alioquin non constet Esau esse damnatum, & non potius post fratricidii depositionem Deo esse reconciliatum ac salvatum.

Ad Antiochum quod attinet, is petebat liberari à poena mortis temporalis. Addit D. Thomas q. 86. art. 1. ad 1. poenitentiam Antiochi fuisse imperfectam; cum solum doleret ob infirmitatem corporalem.

Respondetur ad exemplum Antiochi.

Per peccatum in Spiritum sanctum Nonnulli intelligunt impoenitentiam finalem. Sed melius cum Chrysolomo & plerisque aliis intelligitur peccatum blasphemiae, quae opera Spiritus sancti, id est, divinae bonitatis & gratiae, tribuuntur spiritui immundo (ut Judaei tribuebant) quae non remittetur, hoc est, valde difficulter & raro; idque ob extremam malitiam: cum per illud peccatum oppugnetur directe id, quo ad poenitentiam sumus perducendi, scilicet divina bonitas, propter quam offensam est poenitendum.

4. Quid intelligatur per peccatum in Spiritum sanctum, neque hic non remissibile.

Denique quod Joannes Apostolus dixit de peccato ad mortem, optimè explicatur (ut alias positiones omittam) de peccato mortali finali, cum quo quis moritur.

Quid significetur per peccatum ad mortem.

Quamvis autem omnes Catholici fateantur poenitentiam esse infallibiliter salutarem cuivis peccatori, si illam adhibeat: fuerunt tamen pauci, qui existimarunt gratiam ad salutariter poenitendum non omnibus peccatoribus dari, sed quibusdam absolute à Deo negari. Quod etsi de gratia efficaci certum sit: tamen intellectum de gratia sufficiente, saltem remote, rejicitur à Doctoribus communiter. Idque intelligendum est etiam de illis, quos Scriptura appellat obduratos. Vide dicta in Tract. de Gratia d. 3. q. 4. & Smising Tract. 3. disp. 6. q. 4. signanter n. 164. & seqq.

5. Peccator omnis, an poenitere salutariter possit, remissibile.

DICO II. Poenitentia interior convenit omni viatori, qui aliquando actualiter peccavit:

6. Poenitentia

locum habet  
in omnibus,  
qui aliquâ  
do actu pec-  
caverunt.

cavit: est autem necessaria omnibus, qui commiserunt peccatum mortale. Prima pars patet: quia sive quis peccaverit mortaliter, sive venialiter tantum; & sive peccata sint ei remissa, sive non, potest equidem pœnitere ac peccata præterita detestari, uti etiam confiteri, idque tum ad majus meritum; tum ad abundantius peccati remedium, & satisfactionem pro poena temporali.

7.  
Et in via  
sunt.  
An etiam  
in Beatis.

Dixi, *Viatori*: nam peccatoribus damnatis, utpote in malo obstinatis non convertitur Pœnitentia. Beatis autem, qui aliquando in vita peccaverunt, convenit quidem detestatio præteritorum peccatorum; tamen sine dolore & pœnalitate, & non tamquam remedium peccati. Quo posteriori modo etiam non convenit animabus in purgatorio, etsi cū dolore peccata detestari possint.

Non convenit perfectis  
innocentibus, aut soli  
Originali  
subjectis,

Dixi etiam *qui aliquando actualiter peccaverunt*: nam innocentes, uti B. Virgo, vel qui solum originale contraxerunt, non possunt detestari seu retractare peccata commissa, nec verè dicere, se pœnitet fecisse. Quàmvis peccatum originale possit esse objectum doloris, quo quis doleat se illud contraxisse, & similiter dolere possimus de peccatis alienis, eorumque destructionem procurare. Qui quidem affectus est pœnitentiæ afinis; quàmvis isto nomine non soleat appellari: quod pertinet ad quæstionem de voce.

Est necessaria  
via tis, qui  
mortaliter  
peccaverunt.

Secunda pars patet: quia Scriptura ubique inculcat peccatoribus pœnitentiam tamquam remedium necessarium *Ezech. 18. Luca 13.* & alibi. Quod etiam faciunt Patres, & docet *Trid. sess. 14. c. 1. & 4.*

8.  
Tum neces-  
sitate medi-  
i,

Dico III. Pœnitentia interior est peccatoribus necessaria, tum necessitate mediæ, tum necessitate præcepti, & quidem ex suppositione naturalis. Est communis.

Prima pars patet: quia sine pœnitentia non contingit peccatorem justificari, ac proinde nec salvari: adeò ut qui impœnitens moreretur, damnandus foret, etsi ob ignorantiam vel oblivionem non committeret novam culpam omitendo pœnitentiam.

Tum neces-  
sitate præ-  
cepti.

Secunda pars patet: quia dum præceptus est finis, etiam præceptum est medium necessarium. Deinde ad salutem sufficit servare mandata, ergo pœnitentia est unum ex mandatis: cum sine ea non sufficiant cetera ad salutem.

9.  
Et quidem  
naturalis ex  
suppositione.

Tertia pars probatur: quia supposito statu & ordine supernaturali, ac insuper decreto Dei de non admittendo alio peccati remedio, sequitur ex natura rei peccatorem obligari ad pœnitentiam. Idque tum ex obligatione charitatis Dei, quem sicut obligamur diligere & amicum habere, sic quoque offensus reconciliari: tum & clarissimè ex charitate sui, ex qua sicut obligamur nobis ipsis; in necessitate corporali succurrere; ita, & quidem potius, in tanta necessitate spirituali. Addunt *Suarez, Præposi-*

ius cum pluribus aliis, specialem obligationem ex particulari virtute Pœnitentiæ, que inclinatur ad satisfaciendum Deo pro offensa sive injuria ei illata; quam, tamen obligationem *Vasquez, Coninck,* & alii non agnoscunt. Sed saltem hæc obligatio non carere magna probabilitate: cum naturalis ratio dicat, debere nos humiliari coram summo Principe, quem graviter offendimus, ab eo veniam petere offensæ.

Petes: an igitur impœnitentia finalis sit peccatum speciale? Diversi diversimodè loquuntur. Breviter Resp. Aff. quando scilicet est expressè aut interpretativè voluta. Quare voluntariè moriens in peccato mortali, committit insuper speciale peccatum contra obligationes præmissas pœnitendi. Frequenter tamen non est speciale peccatum formale: sive quia mors hominem de hac obligatione non cogitantem præoccupat; sive quia homo bona fide se pœnituisse credit. Aliis talis habet explicitam aut interpretativam voluntatem Deo se nunquam submittendi aut reconciliandi; adeoque æternæ inimicitie divinæ, perpetuæque damnationis, malorumque inexplicabilium ac irreparabilium eam consequentium. Hæc ferò malitia non est in quovis peccato mortali: cum non adsit semper præfata voluntas, sed potius opposita, periculumque moriendi in malo statu ac damnationis plerumque non sit propinquum vel grave.

Dico IV. Præceptum interioris pœnitentiæ non obligat peccatorem, ut quantum primum moraliter fieri potest, pœnitat. Est communis Doctorum contra varios antiquiores. Probatur ex sensu Fidelium, qui non putant se novæ culpæ reos esse, si non statim post commissum peccatum pœnitentiam agant: neque solent de ejusmodi peccato se in confessione accusare: neque solept confessarii aut pastores illis hoc præceptum proponere. Deinde hæc obligatio esset valde onerosa; adeoque cum de ea non satis constet, non est imponenda. Præterea aliis vix unquam licet peccatori absque suppositione novi peccati confiteri cum sola attritione: cum inter peccatum & confessionem regulariter mediet tempus, quo debuisset elici contritio justificativa. Sanè Ecclesia olim adultis non conferens Baptisimum extra duo tempora, haud supponebat Catechumenos regulariter esse justos ante susceptionem Baptismi; quod utique supponere debuisset, aut certe illos interim graviter peccasse defectu obtentæ per contritionem charitate perfectam (que juxta oppositam doctrinam elici debuisset) reconciliationis cum Deo seu remissionis peccatorum. Difficile denique est, quomodo (ut arguit *Arriaga d. 18. n. 9.*) ex opposita doctrina non sequatur, semper de novo peccatore aliquem, quousque non elicerit sufficientem pœnitentiam, adeoque in confessio-

ne explicandum esse tempus, à quo mortale fuit commissum, & quoties se homo reflexit supra illud seu statum suum: quod planè ab omni praxi alienissimum est.

Objicitur I. *Eccl. 5.* dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Resp. ibi contineri saluberrimum consilium (quod etiam Patres frequentissimè urgent) ne homo à morte præventus in peccatis moriatur. Aliquando etiam Scriptura exhortans ad conversionem, urget, ut peccatores desistant à peccatis actualibus; ut *Isaia 65.* *Jeremie 8.* *Ezech. 33.*

Objicitur II. Infirmus tenetur statim adhibere remedium ad sanitatem corporalem conducens: ergo multò magis peccator, tamquam spiritualiter infirmus, tenetur statim adhibere remediū Pœnitentiæ. Resp. Neg. Ant. in casu quo potest corporalis curatio absq; notabili periculo vel detrimento differri, uti differri potest cura spiritualis.

Objicitur III. Ex præcepto charitatis obligamur corripere proximum primà datà opportunitate: ergo multò magis emendare nosmetipsos. Resp. Antecedens tantum esse verum in casu, quo est periculum, ne proximus relabatur, aut alioquin in malo statu moriatur, vel in casu quo postea non esset futura corripiendi opportunitas. Quando autem horum aliquid subest in ipso peccatore, tenetur etiam statim pœnitere: sed hoc est per accidens.

Objicitur IV. Qui non resurgit statim à peccato exponit se periculo iterum peccandi, & in peccatis moriendi, ergo &c. Resp. ista pericula esse remota, qualia non tenetur homo sub gravi culpa vitare. Quòd si tamen adesset periculum in aliquo manifestum, v. g. peccandi de novo, nisi pœniteat, tenebitur pœnitere: sed hoc est quoque per accidens. Vide dicta *disp. 2. de Necess. grat. n. 26.*

Objicitur V. Numquam licitum est peccare; ergo nec in peccato permanere. Resp. Dist. Con. in peccato actuali. Cone. conseq. in peccato habituali. neg. conseq. cum hoc nihil sit aliud, quam omittere pœnitentiam; quod esse prohibitum, deberet ostendi.

Objicitur VI. qui proximum læsit in bonis fortune vel famæ, tenetur statim restituere: ergo etiam peccator, qui Deum læsit peccando, tenetur statim per pœnitentiam satisfacere. Resp. Neg. Conf. nam homo tam diu censetur lædi per detentionem rei sibi utilis (hæc enim detentio ipsi continuò nocet) donec illi restituatur: Deus vero non censetur continuò lædi, cum nihil per peccatum ei auferatur, cujus indigeat, vel cujus privatione damnificetur. Deinde dilatio restitutionis in humanis ideo est mala, quia dominus censetur continuò invitus: cuius oppositum si rationabiliter præsumatur, non erit dilatio statim peccaminosa. Deus autem non exigit statim sibi fieri à nobis

satisfactionem, volens nostræ condescendere infirmitati. Quod rationabiliter præsumitur, tum quia ipse inde non patitur, uti homines, tum quia sic habet communis sensus Fidelium. Si autem tale fuisset peccatum, quo quis læsisset quasi Dei famam, sive divinum cultum, aut circa fidem aut circa mores; teneretur statim hoc quasi damnum reparare. Posset tamen hoc facere, etiam si non ageret perfectam pœnitentiam, qua consequeretur remissionem peccati: sicut inter homines potest debitor restituere sine perfecta pœnitentia. Et ad hoc homo teneretur, non ex obligatione communi pœnitentiæ, sed alterius virtutis exigentis talem reparationem. Addunt aliqui præceptum de restitutione sive satisfactione inter homines esse negativum, quod obligat ad semper, ne quis maneat in statu offensionis cum proximo: sed præceptum pœnitentiæ esse affirmativum, obligans pro certo tempore.

An autem vel quare infidelis fide sufficenter proposità teneatur potius statim credere, ut Theologi passim admittunt, quam peccator pœnitere, explicandum est in materia de Fide, *disp. 7. q. 6. n. 76.*

Dico V. Certum est obligare præceptum pœnitentiæ peccatorem in periculo vitæ & perpetuæ amentiæ: nisi enim tunc fiat pœnitentia, non superest tempus quo fiat. An verò etiam alio tempore obliget per se & seclusis extrinsecis, dubitatur. Negat Navarrus, Vasquez & alii, eò quòd charitas Dei & sui non plus videatur exigere, quam pœnitentiam fieri in extrema necessitate. Verùm sicut præceptum charitatis Dei juxta communioem opinionem non tantum in fine vitæ, sed etiam sæpius in vita obligat; sic quoque videtur obligare pœnitentia, ut peccator non possit valde diu illam differre, vel usque ad ultimum vitæ. Et sanè minùs credibile, ac valde rationi dissonum apparet, licere peccatori per totam vitam, aut tempore valde diuturno manere in peccato, quamvis non committeret alia nova peccata. Ita Henriquez, Cominek, Lugo, qui testatur communioem esse sententiam. Quando nam autem intra vitæ cursum teneatur peccator ex natura rei ad pœnitentiam, difficile est determinare, nec conveniunt Doctores, uti in similibus indeterminatis solent; nam aliqui determinant tempus quinq; vel sex annorum, alii adhuc minus. Satis equidè providisse videtur Ecclesia determinando annuam confessionem: quam si peccatores debite instituant, non est periculum in obligatione pœnitentiæ deficiendi.

Nilominus quandoque per accidens obligatur peccator ad pœnitentiam, v. g. ratione susceptionis aut ministrations Sacramenti, vel quando alioquin peccator existimat se lapsurum in novum peccatum. Addunt aliqui tempus gravis & communis necessitatis. Sed vix potest casus occurrere,

15. Obligat peccatorem in periculo vitæ ac perpetuæ amentia.

An & quòdo ad huc.

Nota pro praxi.

16. Quando per accidens obliget hoc præceptum.

retere, juxta Suarez: & si occurreret, obligaret tantum ex communi charitate & communitatem. Addunt præterea alii alios casus: sed sine fundamento.

17.  
*An justificatus per solum actum dilectionis teneatur postea elicere actum formalem pœnitentiæ.*

Petes: an si quis esset justificatus per pœnitentiam virtuales, scilicet dilectionem Dei super omnia, obligetur postea adhuc elicere pœnitentiam formalem & explicitam? Resp. probabiliter Neg. cum Vasquez, Præposito & aliis contra Vega, Suarez & alios: nam pœnitentia videtur solum esse in præcepto in ordine ad obtinendam à Deo veniam seu remissionem peccatorum; quæ supponitur in casu quæstionis.

*An quoties justificatus peccatorum memoria incidit, debeat pœnitere.*

Multò minùs obligatur peccator jam justificatus pœnitentiam repetere toties, quoties peccata postea memoriæ occurrunt tamquam detestabilia, ut docent Doctores communiter contra varios antiquiores. Quàmvis enim hoc sit optimum consilium, nullum tamen adfertur istius obligationis fundamentum: nec fideles aut confessarii communiter de hoc sunt anxii. Per primam denique pœnitentiam reconciliativam satisfactum est fundamentis, ex quibus nascitur obligatio pœnitendi.

18.  
*Quæ pœnitentia sit in præcepto.*

*Olim contritio perfecta, in lege nova saltem attritio.*

Ex dictis colligitur illa pœnitentiam esse in præcepto, quæ requiritur & sufficit ad remissionem peccatorum. Unde constat olim fuisse requisitam contritionem perfectam, cum videlicet peccatoribus non suppeteret aliud medium ordinarium ad impetrandam peccatorum remissionem. At quia in lege nova sufficit attritio, etiam cognita, cum Sacramento ad impetrandam veniam (ut infra dicitur) sequitur eandem sufficere cum Sacramento ad implendum præceptum pœnitentiæ.

19.  
*An hoc sufficiat cum Sacramento in articulo mortis convertitur.*

*Judicium auctoris.*

Dubitatur tamen, an attritio cum Sacramento sufficiat in articulo mortis? Nam hoc negat Suarez, Præpositus & plures alii, putantes peccatorem tunc obligari ad contritionem, saltem ex charitate sui ipsius, ut securissimè salutem provideat: maximè cum non sit omnino certum, attritionem cognitam sufficere cum Sacramento ad justificationem: major autem probabilitas nequeat occurrere damno irreparabili, quod sequeretur, si illa opinio à parte rei esset falsa. Et pro praxi quidem hoc saltem consultissimè est; uti etiam, quòd pluribus & sæpè repetitis mediis homo salutem prospiciat in tali articulo, in quo agitur de negotio jam jam instantis æternitatis. Attamen sufficit absolute certitudo moralis, qualis in rebus humanis exquiruntur, de recuperatione divinæ amicitiae: ad quam sufficere attritionem cum Sacramento videtur moraliter certum, ut patebit ex infra dicendis. Alioquin contritione semel elicita, non est quis magis certus, quòd perfectam contritionem habuerit; & tamen ad illam identidem repetendam non obligatur. Posset quidem peccator in fine vitæ esse obligatus ad perfectam Dei dilectionem, idque ratione

præcepti charitatis Dei, quo tamen similiter obligaretur is, qui nunquam peccavit. Ita Lugo & varii Recentiores. Aliàs si non foret moraliter certum attritionem sufficere, clarum esset obligari peccatorem pro tali articulo ad certum remedium contritionis perfectæ. Eò magis, quòd accedat aliunde non certò constare peccatori de absolutione Sacerdotis, an is verè sit sacerdos, vel an verè absolverit: forte enim alterutrum fingit (quòd soli absolventi constat) vel forte est invalide ordinatus, quòd insuper aliunde dependet. Ad hæc tamen responderi posset, constare peccatori id sufficienter, nempe certitudine morali. Nihilominus inde satis patet, quàm sit saltem consultum in isto articulo conari ad perfectam, immo & iteratam cordis contritionem.

## QUESTIO II.

### *De Efficacia, Appropriatione & aliis conditionibus necessariis pœnitentiæ reconciliativæ.*

**D**ICO I. Requiritur ad reconciliationem pœnitentia, quæ sit detestatio peccati efficax. Patet ex Scriptura, quæ passim requirit, ut impius derelinquat vias suas, avertat se ab injustitiis suis, easque à se projiciat: quæ planè significant detestationem debere esse ita efficacem, ut per illam voluntas absolute fugiat omnem offensam Dei. Et *Trid. sess. 14. c. 4.* docet de contritione imperfecta, eam tunc demum disponere in Sacramento ad remissionem peccatorum, si voluntatem peccandi excludat. Ratio est: quia cum affectu inefficaci potest consistere voluntas de cetero peccandi; immo & affectus inefficax seu complacentia circa peccata commissa.

Potest autem considerari efficacia actus pœnitentiæ, partim circa præterita, partim circa futura. Et circa futura quidem debet esse absolute efficax vel in actu primo, cum debeat esse absoluta voluntas de cetero servandi mandata, & Deum non offendendi morè iter. Quòd etiam expresserunt *Florentinum*, & *Tridentinum*, dùm ad contritionem requirunt *propositum non peccandi de cetero*. Circa præterita verò apparet difficultas: cum enim ad præteritum non detur potentia, non videtur circa illud posse efficaciter versari voluntas. Ideoque hoc non debet ita intelligi, quali possit aut debeat homo absolute velle tacere, quòd non peccaverit: hoc enim stultum esset juxta *D. Thomam*. Debet ergo circa præterita peccata elici talis displicentia vel detestatio, quæ peccator sic abominatur peccatum, ut si res esset integra, faceret peccatum tale vel tale non esse commissum, seu